

facti, & solemnitate defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, in eisdem supplementis. Et ut concessio, & assignatio hujusmodi, ac omnia, & singula præmissa semper firma, & valida persistant, & de illorum validitate, & firmitate nullo unquam tempore hæsitari contingat, ac quatenus opus sit, Ecclesia ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, quæ minime collativa existit, illiusque Sacrificiæ, ac Collegii prædictorum, illorumque ædium, suppellectilium, utensilium, & mobilium usus prædictos, ad effectum præmissorum tantum, ac cum omnibus, & singulis conditionibus, pactis, & obligationibus in dicto instrumento contentis, & expressis, & non alias, Congregationi, illiusque Presbyteris prædictis, ita quod liceat eis corporalem, realem, & actualem possessionem, quoad usus prædictos tantum, per se, vel alium, seu alios eorum, prædictæ Congregationis nomine, propria auctoritate apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, Apostolica auctoritate perpetuo concedimus, & assignamus, illisque servitio Ecclesiæ ejusdem B. Mariæ in Montibus, & Collegii prædictorum pro tempore addictos a Locorum Ordinariis in illis, in quibus ipsi Ordinarii prædictis subesse dignoscuntur, dicta Apostolica auctoritate eximimus, & liberamus, & exemptos, & liberatos, & omnimodæ Superioritati, jurisdictionique Cardinalis nunc, & pro tempore existentis Protectoris prædicti subijcimus, illique subiectos esse, & fore volumus, ac ejusdem Congregationis Presbyteris prædictis eidem Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegio prædicto pro tempore intervenientibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, facultatibus, indultis, exemptionibus, indulgentiis, ac privilegiis, quibus Presbyteri, alique Ministri Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, & Collegio prædictis antea pro tempore intervenientes de jure, usu, consuetudine, privilegio, & concessione Apostolica, aut alias quomodolibet utebantur, fruebantur, potiebantur, & gaudebant, uti, frui, potiri, & gaudere, libere, & licite possint, & valeant, eadem auctoritate concedimus, & indulgemus. Ac insuper legata pia, & res a piis Benefactoribus Presbyteris piis Operariis prædictis in Ecclesia ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus hujusmodi degentibus, vel commorantibus, vel Presbyteris piis Operariis ejusdem Ecclesiæ B. Mariæ in Montibus, vel ipsi Ecclesiæ Beatæ Mariæ in Montibus, relinquenda, & relinquendas, ad Ecclesiam ipsam prædictæ B. Mariæ in Montibus, nisi ex verbis vel conjecturis, circumstantiis, aut verisimili Testatorum mente appareat, vel apparere possit, Testatores eosdem Presbyteros principaliter contemplatos fuisse, aut eorum contemplatione principaliter motos fuisse ad relinquendum, spectare, & pertinere debere, Apostolica auctoritate prædicta, declaramus.

Exemptio ab Ordinariis, ac alarum privilegiorum, & Indulgentiarum.

Declaratio circa legata, alique reliqua.

Claufulæ eum mandati observandi in instrumentum, Deputatione, Executione, & derogatione relaxarum Constitucionum.

§.22. Decernentes Congregationem, illiusque Superiores, & Presbyteros pro tempore existentem Protectorem prædictos ad omnia, & singula in prædicto Instrumento concessionis hujusmodi contenta, illorumque observantiam, & executionem obligatos fore, & esse; nec non illa omnia, & singula ab omnibus, ad quos nunc quomodolibet spectat, & spectare poterit in futurum, perpetuo firmiter, & inviolabiliter observari, & adimpleri debere.

§.23. Præsentibus quoque etiam ex eo, quod quicumque interesse habentes, vel habere prætendentes præmissis non consenserint, atque ad ea vocati non fuerint, vel cause, propter quas illa fiant, aut facta sint, verificata, & justificata non fuerint, vel alias ex quocumque capite, quantumvis juridico, & legitimo, de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retrahari, annullari, invalidari, aut in jus, vel controversiam vocari, seu ad viam, & terminos juris reduci, aut adversus illas quocumque juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari, aut concedi nullatenus unquam posse, sed illas semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, nec non sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendendi, sed semper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori data per eosdem Congregationem, illius Superiores, ac Presbyteros, nec non Cardinalem nunc, & pro tempore existentem Protectorem quocumque eligenda, concessas esse, & fore; sicque, & non alias per quocumque Judices Ordinarios, vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales de Latere Legatos, Vicelegatos, seu quosvis alios, sublatis eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & definiendi forma, ubique, & in quacumque instantia judicari, & definiri debere; irritumque, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.24. Quo circa Venerabilibus Fratribus nostris Portuensi, & Præfinito Episcopis nunc, & pro tempore existentibus per easdem præsentibus motu simili mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios eisdem præsentibus, & in eis contenta quæcumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Congregationis, ac pro tempore existentium, illius Presbyterorum, nec non Cardinalis nunc, & pro tempore existentis prædictorum, seu alius eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentibus, & in eis contenta quæcumque ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ac singulos, quos ipse præsentibus concernunt, illis pacifice frui, & gaudere; non permittentes ipsos, vel eorum quempiam desuper quomodolibet molestari, Contradictores quoslibet, & Rebelles per censuras, & penas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias, aliaque opportuna remedia juris, & facti, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras, & penas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus Pauli Gregorii, & Urbani prædictorum, nec non Pauli Secundi, quatenus opus sit, Prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiæ non alie-

alienandis, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ regula de jure quæsito non tollendo, nec non Ecclesiæ ejusdem Beatæ Mariæ in Montibus, ac Collegii prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, eorumque Superioribus, Administratores, Deputatis, aliisque Personis sub quibuscumque tenoribus, & formis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis, quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, illis alias in suo robore permanens, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse, ac latissime, & plenissime, motu pari derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.25. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, defectum supplementationis, ac novæ concessionis, & assignationis, indulti, declarationis, mandati, decreti, derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo duodecimo, quarto Nonas Januarii Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

CLXIV.

Dat. 26. Febr. 1712. An. 12.

Conceditur extensio numeri duodenarii Magistrorum ad octodecimum pro Provincia Limana Ordin. Eremitar. S. Augusti in Indiis Occident.

Const. de 1710, Maji 20, P. 10 auctus fuit numerus Magistrorum in Provincia Chilien. Et Const. de 1720, Oct. 20, P. 20 augetur numerus eorumdem in Provincia Peruviana.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Describitur præsentibus quatuor domorum pro Studiis Provincie.

Exponi nuper fecerunt dilecti filii Fratres Provincie Limanæ Ordinis Eremitarum S. Augustini in Indiis Occidentibus, quod dicta Provincia quatuor Domus Studiorum non parum conspicuas, & decoras habet, & in prima quidem Beatæ Mariæ Virginis de Gratia nuncupat. continuo adsunt quatuor Lectores, duo nempe Theologiæ speculativæ; alter Theologiæ Moralis, & alius Philosophiæ; in secunda vero, quæ est Collegium S. Idelphonsi Universitatis Pontificiæ prerogativa, maximisque privilegiis gaudens, octoginta circiter una cum Lectoribus studentes, ac tres Lectores Theologiæ speculativæ, quorum primus Martinus, alter Nonæ, & alius Vesperarum respective nuncupantur, necnon unus Lector Theologiæ

Moralis, & alii duo Philosophiæ, unus Regens, & unus Magister Studiorum, qui semper est Lector Theologiæ; Ac in tertia, quæ est Causæ, quinquaginta circiter Studentes, duo Lectores Theologiæ speculativæ, alter Theologiæ Moralis, & alius Philosophiæ, ac unus Regens; in quarta denique Domorum hujusmodi, quæ est Chuquisacensis, seu Platenis, quadrigentis leucis a Civitate Limana distans, triginta circiter una, etiam cum Lectoribus Studentes, quorum Lectorum duo sunt Theologiæ speculativæ, alter Theologiæ Moralis, & alius Philosophiæ, respective reperiantur, ac insuper in eadem Provincia quadraginta duo Lectores jubilati numerantur, quorum decem vel duodecim in magno Conventu Liman. dicti Ordinis commorantur, ubi continuo pariter adsunt viginti Doctores, seu Magistri in Sacra Theologia, qui Doctoratus, seu Magisterii Lauream in Regia Liman. Studii Generalis Universitate adepti fuerunt, ibique a dicta Provincia ad effectum ut succedente alicujus in dicta Universitate Cathedræ vacatione, ad illius consecutionem una cum aliis, sive Regularibus, sive Sæcularibus ibidem ad eundem effectum commorantibus concurrere valeant, manutentantur, ac plerumque Ordo prædictus tres, aut quatuor Cathedras in eadem Universitate habere solet.

Causa concessionis, & preces Provincie

§.1. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat dicta Provincia pro tot Religiosis Studiis, Doctrinæque deditis nullum aliud habeat quod virtuti rependat præmium, quam duodecim Magisteria de numero, nec ullus dictionum Religiosorum ad Magisterii hujusmodi gradum, nisi per obitum alicujus illum obtinentis vacaverit, promoveri possit, ac proinde ipsi Exponentes, quo Religiosis prædictis novi ad studia, & virtutes stimuli addantur, duodenarium Provincie prædictæ Magistrorum numerum ad viginti quatuor a Nobis augeri plurimum desiderant; Nos eosdem Exponentes specialibus favoribus, & gratis profæqui volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, qui super præmissis dilectum Filium Procuratorem Generalem dicti Ordinis audiverunt, & Votum Capituli Generalis ejusdem Ordinis novissime in Alma Urbe nostra celebrato viderunt, consilio, ut de cætero duodenarius dictæ Provincie Magistrorum numerus ad alios sex Magistros augeatur auctoritate Apostolica, tenore præsentium, concedimus, & indulgemus: salva tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Concessionis numeri Magistrorum ad sex alios.

§.2. Decernentes easdem præsentibus literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum in omnibus, & per omnia ple-

Claufulæ.

plenissime suffragari: sicque in premissis per quoscumque iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

S.3. Non obstantibus premissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Provinciarum, & Ordinum prefatorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & Consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad premissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

S.4. Volumus autem, ut eorundem presentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personarum in Ecclesiastica dignitate constitutarum munitis eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis presentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVI. Febr. MDCCXII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CLXV.

Declarantur nullae Pactiones a Capitulo Ecclesiae Hildesienensis cum Aetholico Principe inite Religioni, Ecclesiae, ipsique Capitulo praedictales.

Const. ed. 1707, Jul. 27, P. 7 nulla declarata fuit concordia inita cum Militibus Germanis in Ducatu Parmae. Et Const. ed. 1718, Dec. 10, P. 19 declaratur nullus Tractatus Pacificationis inter Abbatem S. Galli, & Magistratum Bernen., & Tigurinum.

Dilectis Filiis Capitulo, & Canonicis Cathedralis Ecclesiae Hildesienensis.

CLEMENS PAPA XI.

Dilecti Filii salutem, & Apostolicam benedictionem.

Exordium a Poficio inco- roge ob inveni- tia detrimen- ta, quae per Pa- ctiones inferre- bantur, etiam ipsi Capitulo, quod acteris, sed patetis vo- cibus incre- pantur, quia ex- terna quoque constanti- ter pa- ti debebat.

UBI primum, vel ipso rumore publico nunciante, Nobis innotuerant Pactiones illae, seu, ut vocant, Reccessus, quibus vos diebus 11. Julii, ac 16. Novembris anni praeteriti, tametsi invitati, ut credimus, & reluctantes, ac non nisi angustiarum quae tunc Vobis illatae fuerant, sensu, majorumque, quas timebatis, metu compulsos subscripsisse accepimus, acerbo sane, ac pene inexplicabili dolore correpti fuimus: animo recolentes gravissima damna, quae per eiusmodi Pactiones, non tam istius Ecclesiae, quam Catholicae Religionis rationibus irrogata fuisse perpendimus. Cumulum deinde addiderunt moerori nostro, quae novissime ad manus nostras pervenerunt, ipsarum Pactionum,

seu Reccessuum exempla, quibus non modo plura capita Vvestphalicae Pacis dudum ab hac Sancta Sede damnata, perperam instaurari, & approbari vidimus, sed & alia multa non minus Orthodoxae Fidei, Divino cultui, atque animarum salutis adversantia, quam Canonicis sanctionibus, necnon Ecclesiae vestrae Hildesienensis, ac illius Episcopi, Capituli, & Canonicorum, aliarumve Ecclesiarum, & Locorum piorum, eorumque personarum juribus prorsus repugnantia statui, ac firmitati cognovimus; quae, ut pudori vestro consueamus, inogillatum referre praetermittimus. Et sane nunquam adduci potuissimus, ut crederemus pietatem vestram eatenus labefactandam fuisse, ut ad tam asperas, vestroque nomini injuriosas condiciones accipiendas descenderetis: cum praesertim Nos iteratis in simili forma Brevis ad vos opportune datis Literis ad aequissimam causam alacri, strenuoque animo tuendam pro muneris nostri debito majorem in modum vos adhortati essemus, ac diligenter in primis admonuissimus, ut probe noveritis, ne cuiuscumque denunciatione periculi, aut privati commodi ratione vos abripi sine reitis ad illas incuendas pactiones, quae Catholicae rei forent detrimento; conscripserisque insuper, statim ac audivimus ab Aetholico Principe militares copias ad occupandam Civitatem Hildesienensem, atque Arcem Peinenensem immisissas fuisse, non tam ad clar. me. Josephum, dum viveret, Romanorum Regem in Imperatorem Electum, eoque subinde defuncto, ad Charissimam in Christo Filiam nostram Magdalenam Theresiam Hungariae, & Bohemiae Reginam Illustrissimam, in Romanorum Imperatricem Electam Viduam, quam ad omnes fere Germaniae Antistes, & Catholicos Principes alius Literis nostris, eos quam efficacissime excitavissimus, ac obtestati essemus, quemadmodum vobis itidem satis perspectum est, ut conjunctis studiis periclitanti Hildesienti Ecclesiae celerem opem ferrent, ejusque indemnitati, & tranquillitati consultum vellent. Quocirca sperare posse videbatur ab eiusmodi officiis haud leve rebus vestris adjumentum, atque praesidium comparandum fuisse, ubi vos longiori patientia, solidiorque animi fortitudine illius vobis vexationibus, ac molestiis resistissetis. Desideravimus proinde hac in re eam Sacerdotali pectore plane dignam constantiam, quam vestrarum arumnarum initio tam egregie profitebamini. Et quamvis facile persuasum habeamus dura, ac extrema necessitate, graviorumque malorum formidine, quemadmodum scripsistis, & aliunde quoque restitimus, Vos ad eiusmodi Pactiones firmandas inductos fuisse, id nihilominus ea, quae gestistis, non excusat: tum quia plenior omnino fiducia in eo reponenda vobis erat, in quo qui sperant, non confunduntur ab expectatione sua, & cujus dextera invenitur super omnes, qui illum oderunt: tum etiam quia ubi Deus propter inscrutabilia Judicia ejus Vos calamitatibus, ac arumnis, in quibus positi eratis, diutius consistari permisisset, Ecclesiasticae tamen professionis, & Divini ministerii, cui addicti estis, ratio flagitabat, ut quaecumque subiretis pericula, ac omnia etiam extrema mala perferretis potius, quam Religionis, & Ecclesiae causam desereretis; Id unum scilicet timendum vobis erat, ne apud Deum, hominesque redar-

gum jure possetis loco, atque honori vestro de- fuisse.

Causa praesentis declarationis continetur.

S.1. Ceterum etsi Pactiones praefatas ipso jure inanes, ac irritas existere palam constet: notoriorque insuper juris sit, quascumque conventiones de rebus Ecclesiasticis absque Apostolicae Sedis auctoritate initas nullius prorsus esse roboris, & momenti; adeoque minime vereamur, quin probe agniti sitis vos ad illarum observantiam nequaquam obstringi, quin etiam eas observare, reclamante conscientia, nullo tempore posse, nec debere; nihilominus aequum non modo, & congruum, sed, & necessarium esse ducimus, ut premissis Apostolice quoque Judicii pondus accedat, tum ut nunquam dubitari contingat ipsas Pactiones Orthodoxae Religioni, & Ecclesiae juribus, tam infensas, simulque Orbi universo tam notas, dissimulari a nobis, atque silentio praeteriri potuisse; tum etiam ut vos alacrius, atque solidius de iis ita deinceps censere valeatis, tanquam si nullatenus inite fuissent. Hinc est, quod nos Catholicae Fidei conservationi, & propagationi, necnon praefatae Ecclesiae Hildesienensis, ac illius Praesulis, Capituli, & Canonicorum, aliarumve Ecclesiarum, & Locorum Piorum, ac illarum personarum quarumcumque indemnitati, ex commissi Nobis divinitus Pastoralis officii debito, providere cupientes, ac Instrumentorum, seu scripturarum super Pactionibus, seu Reccessibus hujusmodi confectorum, seu confectarum, omniumque, & singulorum inibi contentorum, & aliorum quorumcumque etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem de necessitate requirentium tenores, & datas etiam veriores, ceteraque qualibet, etiam speciali mentione digna, presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, & exactissime specificatis habentes: Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praenarratas Pactiones, & alia quaelibet in Instrumentis, seu scripturis hujusmodi contenta, quae Catholicae Fidei, Divino cultui, animarum salutis, Cathedrali Hildesienfi, illiusque Mensae Episcopali, & Capitulari, aliisque Ecclesiis, & Locis piis, illarumque respective Episcopo, Capitulo, & Canonicis, Rectoribus, & aliis personis, membris, rebus, bonis, redditibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, prerogativis, & Juribus quibuscumque quomodolibet officiant, sive praedictum etiam minimum afferunt, aut inferre, seu intulisse, vel alias nocere, se nocuisse quoquomodo dici, censeris, praetendi, vel intelligi possent, cum omnibus, & singulis inde secutis, & quodcumque secuturis, ipso Jure nulla, irrita, invalida, iniqua, injusta, damnata, reprobata, inania, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacua ab ipso initio fuisse, & esse, ac perpetuo fore; nec vos, sive alium, quempiam ad illorum, seu cujuslibet eorum, etiam si pluries ratificata, ac juramento vallata sint, observantiam teneri; imo nec illa ullatenus observare posse, aut debere; neque ex illis cuiquam aliquod Jus, vel actionem, aut titulum etiam coloratum, vel possidendi, ac praescribendi causam, acquisitum fuisse, nec esse, minusque ullo tempore acquiri, & competere posse, neque illa ullum statum facere, vel fecis-

Declaratio nullitatis Pactionum, aliorumque, cum eorundem damnatione.

se, sed perinde ac si nunquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus, & non factis perpetuo haberi debere tenore presentium decernimus, & declaramus. Et nihilominus ad uberiorem cautelam, & quatenus opus sit, Pactiones praedictas, aliaque praemissa, ut praefertur, praedictalia, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus damnamus, reprobamus, casamus, irritamus, & annullamus, viribusque, & effectu penitus, & omnino vacuumus: Ac quatenus itidem opus sit Cathedrali Hildesiensem, ac illius Mensas, aliasque Ecclesias, & Loca pia praefata, ac illorum respective personas quascumque adversus illa in integrum, & pristinum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituimus, repominimus, & plenarie reintegramus.

Causale.

S.2. Decernentes eadem praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in premissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, etiam specifica, & individua mentione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, causeque, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificate, & justificate non fuerint, aut ex alia qualibet etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissima, & totalis laesionis nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & incogitabili defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas a peritiois oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse: sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter, & inconcussae observari: sicque, & non aliter in premissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicae Sedis Nuncios, aliove quoslibet quacumque praereminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

S.3. Non obstantibus premissis, & quatenus opus sit, nostra, & Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, legibus quoque etiam Imperialibus, & municipalibus, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate

alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis quibusvis locis, personis etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, & alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requiruntibus sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis Clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestate plenitudine in contrarium præmissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Horatio ad Capitulum observandis. Pæt omnibus abhinc, ac exi in re acta publica referri minimo partiat.

§.4. Agite igitur, dilecti filii, Ecclesie, Religionis, ac Dei causam strenuo, constantique ut par est, animo, & foras misso timore, defendite, ac in primis satagite, ut quæ de cetero peragetis, ea omnibus certo, exploratoque argumento esse possint, Vos ad iniquas illas Pactiones, non nisi vi, ac metu cogentibus devenisse, mentemque vestram ab iis approbandis, ac observandis vere semper aliam fuisse, & esse. Illas propterea pro abolitis, ac prorsus pro non extantibus habete; abstinentes sub poenis per Sacros Canones adversus talia perpetrantes inflictis, non modo ab iis præsentandis, seu inferendis inter acta publica cujusvis Tribunalis, Cancellarie, seu Camere, sed etiam ab alio quovis actu, ex quo tacite, vel expresse illarum approbatio, seu confirmatio ullatenus inferri possit. His porro studiis coeleste rebus vestris præsidium magis, magisque conciliabitis; cujus in auspiciis Apostolicam vobis benedictionem peramanter impartimur.

§.5. Cæterum volumus, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII. Martii MDCCXII. Pontificatus nostri anno Duodecimo.

CLXVI.

Dar. 4. Maji 1712. An. 12.

Confirmatur Decretum Congregationis Avenionen., de non servanda Constitutione Egidiana quoad solemnitates in Contractibus Minorum pro Statu Avenionen., & Comitatu Venaisino.

Inn. XII. Const. ed. 1692., 7. Idus Maji, P. r. modus impositus fuit Constitutionibus de homicidiis. Et hujus Pontificis 1716. Dec. 22., P. 17. extat decretum contra eos, qui Ecclesiam allegare solent.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, & dilectorum Romanæ Curie Prælatorum Avenionen. nuncupat. ad instantiam filiorum Status Avenionen., & Comitatus Venaisini Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Sacra Congregatio Avenionen. habita die 16. Maji 1710. super instantia Status, & Comitatus Venaisini proposito, ac mature discusso gravi Articulo = An Constitutio Egidiana præficari, & observari debeat in eodem Statu, & Comitatu quoad illam ejus partem, in qua præscribuntur solemnitates adhibende in contractibus Minorum: resolutum fuit: Egidianam Constitutionem in ea parte, quæ respicit solemnitates adhibendas in Contractibus Minorum, in Statu Avenionen., & Comitatu Venaisino non esse servandam = In quorum fidem &c. Datum Romæ hac die 31. Martii 1712. = Antonius Maria de Becchettis Secretarius.

Decretum prædicti. an. 1710. editum.

§.1. Cum autem, sicut eorumdem Status, & Comitatus nomine Nobis subinde expositum fuit ipsi Decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius Apostolicæ confirmationis nostre patrocinio commaniri plurimum desideret: Nos specialem ipsius exponentibus gratiam facere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præsentium auctoritate Apostolica, tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Preces Status & Comitatus

Confirmatio relati Decreti

§.2. Decernentes ipsas præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sic in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit Status, & Comitatus prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & in-

& innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die IV. Maji MDCCXII. Pontificatus nostri Anno Duodecimo.

CLXVII.

Dar. 1. Maji 1712. An. 12.

Prohibetur Monachis Ordinis Carthusien., ne alicui in suis Monasteriis carnibus vesci permittant.

Inn. XII Const. ed. 1692., Nov. 4., P. 2 declaratum fuit Statutum non egrediendi ex Eremito. Et Bened. XIII Const. ed. 1725., Aug. 20., P. 2 statuitur, ut nullus impetrare possit gratiam a S. Sede sine licentia.

CLEMENS PAPA XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

